

HVLDRICVS ZASIVS IVNIOR IVRECON-
fultus.



Huldricus patre Huldrico Zasio seniore Iu-
reconsulto doctissimo Friburgi Brisgaudiæ
natus fuit anno circiter 1518. Is cū felici ingenio es-
set præditus, animū ad literarū studia adiecit, & in
īs plurimū profecit. Postea quoque lura con-
iunxit, & sua diligentia effecit, ut Legum Do-
ctor crearetur. Is deinde Basileam peruenit, &
in ea Academia professor constitutus fuit. Cum
autem eius animus altiora respiceret, Theorica
relicta animum ad Praxim exercendam adiecit.
Erat enim magna prudentia & singulari facundia
conspicuus. Itaque ad Cæsarī curiam peruenit,
& tandem Ferdinando Imperatori gratissimus in
eius consilium adoptatus fuit. Huic Imperator res magnas Imperij hinc in-
de administrandas commisit, quas quidem ille tanta animi moderatione ex-
pediuit, ut passim in omnium ore uersaretur. Is etiamnum apud Ma-
ximilianum Cæsarem Vuiennæ superest, atque suis consilijs
res alioqui intricatas optimè componere assolet. A-
nonym.